

www.e-rara.ch

Theologia vetus et nova circa praesentiam Christi in eucharistia

Gerbert, Martin

[Ulm], 1756

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRI 148

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-35638>

Caput VII. Veteres non ignorasse difficultates naturales circa eucharistiam, sed eis non detulisse, in mysterio fidei.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

que fert: imo quemadmodum panis, qui isto ex fructu formatur, in Eucharistia cum vero CHRISTI corpore coniungitur, ita corpora nostra terra commixta, atque in eandem resoluta, suo tamen tempore resurgent, solutaque partes rursus secum invicem & cum anima coniungentur. Fidem hic lectoris contestor, an sententiam IRENÆI exprimat PFAFFIUS? dum verbum coniungere substituit loco verbi fieri, quo utitur S. IRENÆUS, quod omnium simplicissime creationem, transmutationemque significat. Nec in ipso *Canone Romano* alio vocabulo transsubstantiatio designatur: ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui &c. Videatur Cl. MASSUETUS, quem hic oppugnat PFAFFIUS *Difert.* III. art. 8. §. 91.

CAPUT VII.

Veteres non ignorasse difficultates naturales circa Eucharistiam, sed eis non detulisse, in mysterio fidei.

SS. Patres, sensuum obiecta hic non esse attendenda, indicularunt.

I. **I**stis ita in Theologia Patrum firmatis, de reliquis, quæ sensus, & humanam Philosophiam attinent, parum curarunt. Neque unquam le-

leguntur, hæc prævaluisse contra CHRISTI tam perspicuam asseverationem, contra firmissimam de Divina potentia, atque humanæ intelligentiæ imbecillitate, persuasionem. Sæpius apud illos cernimus præoccupatam, quam ex defectu sensuum fieri pronum est, obiectionem, sed non ei indultum. Ad orbitam mens statim revocata, atque contra sensuum iudicium obfirmata: *Nam, inquit CYRILLUS Hieros. (a), etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum & firmum efficiat. Ne iudices rem ex gustu; sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto, te corporis & sanguinis CHRISTI dono dignatum fuisse. Et postea (b): Istæc edoctus, & certissima imbutus fide, quod qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus CHRISTI; & quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis CHRISTI. Ita locuti autem sunt, quasi sensuum experimenta non desiderarint, sed firmissima fide illorum defectum supplerint. O quot modo dicunt, exclamat S. CHRYSOSTOMUS (c), vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa,*

L 5

vel-

- (a) Catech. XXII. n. 6. (b) N. 9.
 (c) Hom. LXXXIII. in MATH.

vellem calceamenta videre. Ecce ipsum accipis, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius videre desideras, ipse vero seipsum tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas, & in te habeas.

Causas tamen indicaverunt, cur suum corpus & sanguinem sub alienis speciebus det CHRISTUS.

a

II. Etiam causas indicaverunt, quare providentissimus DEUS voluerit sub aliena potius, quam propria corporis & sanguinis specie, hæc Sacramenta ministrare. Forte dicis, inter multos S. AMBROSIIUS ait (a), *speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis.* Hic simul S. Doctor notat similitudinem, quæ rationem obtinet Sacramenti, atque propterea causam indicat, cur propriam sanguinis speciem non voluerit CHRISTUS exhiberi propter horrorem cruoris. Idem ipsum contra infideles *Capharnaitas* adhuc multo significantius libri sexti initio statim edisserit. Forte dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli CHRISTI, audientes dicentem: *Nisi quis manducaverit carnem*

(a) Lib. IV. de Sacram. c. 4.

nem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam. Forte dicas: quomodo vera? qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone CHRISTI, qui operatur, ut possit mutare & convertere genera instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt sermonem CHRISTI discipuli eius, sed audientes, quod carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant: solus tamen PETRUS dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego a te quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris. Hanc, qui attente secum perpenderit, Theologiam, simul extollet, vehementerque demirabitur Divinam erga nos œconomiam, & συγκρατάβασις, simulque quod sensus opponere possunt contra veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, nullo negotio pro ludibrio potius & phantasmate imbecillæ mentis habebit, quam ut sibi in animum inducat, hic fallendi locum nobis a DEO contra sensum fidem præberi, cum

cum in hac re CHRISTI tam constans & aperta asseveratio prorsus omni deceptioni præcaverit satis superque: vid. etiam *Iob. DAMASC. l. IV. c. 14. de Orthodoxa fide, & passim SS. Patres.*

Sensuum
& tenuis
intelligen-
tiæ nostræ
præiudicia
dogmati
neutiquam
opponen-
da duxe-
runt.

III. Accidit autem, ut Heterodoxi, dum in SS. Patribus examinatas non reperiunt Philosophicas difficultates, quas ipsi contra præsentiam corporis & sanguinis Domini excogitarunt, hoc in patrocinium erroris accipiant. Cum hi potius, quæ sensus & ratio, præiudiciis moduli sui intelligendi per fenestras aperturasque sensuales occupata, gignit difficultates, susque deque haberint. Non illi Divina mysteria, quæque nobis in Scripturis, & *Traditione* proponuntur dogmata, ad rationes Philosophicas exegerunt. Rem esse, ut fides decernit, nulli dubitarunt, quo autem modo DEUS eiusmodi mirabilia efficeret, anxie inquirendum non putarunt: omnipotentia Divinae reliquerunt vias & rationes, quibus quæque perficeret. Accidit autem, ut non raro, dum de rerum ordine naturali loquuntur, eiusmodi placita ponerent, quæ deinde ad Divina delati, non amplius attenderunt. Eo modo,
quo

quo quotidie accidit, ut dum generatim quaedam ponimus, non idcirco omnes singulares exceptiones positionum, regularumque universalium, sublatas intelligamus. *Quid scrutaris inscrutabilia?* hortatur hic S. EPHREM (a) si ista curiose rimaris, iam non fidelis vocaberis, sed curiosus. *Esto fidelis, atque innocens: participa immaculatum corpus & sanguinem Domini tui fide plenissima, certus, quod agnum ipsum integre comedas: ignis immortalis sunt mysteria CHRISTI: cave, ea temere scrutaris, ne in ipsorum participatione comburaris.* ABRAHAM Patriarcha caelestibus Angelis terrenos cibos apposuit, illique eos comederunt. *Ingens sane miraculum est, cernere spiritus incorporeos in terra carniū cibos manducantes: sed hoc profecto excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod nobis fecit unigenitus filius CHRISTUS, Salvator noster: ignem quippe & spiritum manducandum, atque bibendum praestitit nobis, carne vestitis, corpus videlicet, & sanguinem suum.* Sic igitur illi inconcussa fide steterunt, postposita eorum molesta indagatione, quae sunt incomprehensibilia. Nihil

ma-

(a) De natura DEI curiosius non scrutanda c. 5.

magis, ut superius ex GAUDENTIO audivimus, fidei simplicitati adversum existimarunt, quam Divinorum mysteriorum curiosius scrutari recessus. Longe tutius uniceque necessarium duxerunt, hæc oculis fidei solum admirari; non velle ea ad exilem intelligendi vim intellectus nostri corrupti, & cæci, exigere, aut cognitionibus nostris, quæ unice per sensuum organa hauriuntur, acquiescere, Philosophorum eorum more, qui lumine fidei destituti, lumen solum sensuum & rationis fallax sunt secuti, quod apud illos error & fons omnium errorum, apud Christianos piaculum summum, & destructio fidei fit. Hoc S. AUGUSTINUS in gentilibus vituperavit alio quidem in argumento, rei tamen natura huc cumprimis quadrante. *Cum hoc dicunt (contra resurrectionem corporum) quid aliud dicunt, nisi quod sensu corporis homines, & experientia collegerunt. Nullam enim carnem nisi mortalem sciunt, & hæc est eorum tota ratio, ut quod ipsi experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur.* An non hoc ipsum fit in omnibus illis difficultatibus, quæ ex sensuum iudicio de natura corporis sensibilis afferuntur? quæ cum in gentilibus vituperet

peret AUGUSTINUS, quid de Christianis diceret, si vidisset, illo tempore ita delirasse? cum tunc opus non fuerit, contra eiusmodi errandi pericula cautos reddere. S. GREGORIUS Nazianzenus Orat. de Baptismate 2. de Eucharistia loquens: *Absque confusione*, inquit, *& dubio comede corpus, & sanguinem bibe . . . constans esto; firmus, & stabilis: in nulla re propter sermones adversariorum fluctues.* Christianas autem mentes satis fuit, revocasse ad omnipotentiae Divinae considerationem. Quin etiam notatum a GREGORIO Nisæno, tunc incredulos etiam eas difficultates, quas modo solent contra Eucharistiam movere, non attendisse. *Quæ autem*, inquit (a), *deinceps sequuntur, ea verbum complectitur eiusmodi, ut fateantur etiam increduli, nihil esse alienum ab ea, quæ DEUM decet, existimatione. Nam quod in morte non manserit, & quæ corpori imposita fuerint plagæ, nihil impeditenti attulerint, quominus resurgeret, & quod libere discipulis post resurrectionem apparuerit, & eis adesset, cum tamen non videretur, & esset in medio eorum ne ingressu quidem per portas ingrediens, & confirmaret discipu-*

(a) Catech. Orat. c. 23.

pulos insufflatione spiritus, & se cum eis futurum esse polliceretur, & nullo disiunctum iri intervallo: & eo quidem, quod apparebat, in cœlum ascenderet, eo autem, quod intelligebatur, esset ubique, & quæcunque huiusmodi continet historia, nullo rationum auxilio indigent ad probandum, quod sint Divina, excelsæque & summæ virtutis. Ubi vides, nihil ab eo intactum relinqui earum difficultatum, quas mysterio Divino sensus, & ratio humana possit obiicere, eo autem solo, quod Divina sint, putet nihil indigere ad probandum. Eadem Oratione Catech. c. 37. vult omnes, quæ contra afferri possint rationes, sancti Spiritus igne consumi, & quæ impossibilia videntur, a Spiritu sancto fieri posse, dicit, debere nos esse persuasos.

S. AGUSTINI solutio argumenti de penetratione corporum miraculosa.

a

IV. Sic etiam S. AUGUSTINUS licet corpora impenetrabilia esse putet, exemplis tamen ostendit, ea sese penetrasse. Totus est in hoc argumento sermo XVIII. In diebus Paschalibus, quem PP. Congreg. S. MAURI (a) in recenti operum eius editione restituerunt ex veteri codice; cum fuerit olim inter ser-

(a) T. V. p. 1024. 1025.

Sermones FULGENTII. Lectio ex S. IO-
 HANNE, cap. XX. proposita, occasionem
 dedit S. AUGUSTINO exponendi, quem-
 admodum DOMINUS (verba ipsius reci-
 to) qui in ea soliditate corporis resurre-
 xit, ut non solum videretur a discipulis,
 sed etiam tangeretur, potuerit illis ap-
 parere ostiis clausis. Nonnulli enim,
 pergit, de hac re ita moventur, ut pe-
 ne periclitentur, afferentes contra mi-
 racula Divina præiudicia ratiocinatio-
 num suarum. Proponit tunc argumen-
 tum, quomodo, si idem corpus surrexerit
 de sepulchro, quod pependit in lig-
 no, potuerit per clausa ostia intrare.
 Putas, acutissimum virum nunc varias
 vias modosque huius rei in medium
 adducturum? minime gentium. Ea pau-
 cis solutionis fundamentum: Si compre-
 hendis modum, non est miraculum, &
 si miraculum tibi non videtur, propin-
 quas, ut neges, quia & de sepulchro re-
 surrexit. Respice ab initio miracula DO-
 MINI tui, & redde mihi de singulis ra-
 tionem. Tum in exemplum adducit
 conceptum, partumque virginalem: at-
 que porro opponentem inducit: *Queris
 a me, & dicis, si per clausa ostia intra-
 vit, ubi est corporis modus? & ego re-
 spondeo, si super mare ambulavit, ubi*

M

est

est corporis pondus? quo pluribus expenso, rationem colligit: Si ergo cœperis humano sensu miraculorum discutere rationem, timeo, ne perdas fidem. Nescis, nihil esse impossibile DEO? quicumque ergo tibi dixerit, si intravit per ostia clausa, non erat corpus, responde tu illi a contrario, imo si tactus est, corpus erat; si manducavit, corpus: & fecit illud miraculo, non natura. Nonne admirandus est quotidianus cursus ipse naturæ? omnia miraculis plena sunt: sed assiduitate viluerunt. Expendit tunc, quomodo in parvo semine virtus integræ arboris sit. Postremo creationis opus opponit, quod, inquit, excedit omnia opera: nihil erat, & mundus est. Postremo exemplum vicinius adducit, de camelo per foramen acus traiciendo, & demum ita sermonem claudit. Quid mihi de ostiis clausis calumniaris? ostia clausa habent vel rimam ostiorum foramini acus, compara molem carnis humanæ magnitudini camelorum, & noli calumniari Divinitati miraculorum. Eadem fere GAUDENTIUS Brix. in eandem Evangelii lectionem differit Tract. IX.

Non ignorantur difficultates

V. Atque ex his quidem conicere licet, SS. Patres, quæ sensus, ratio, & hu-

humana philosophia obganniat, non naturales, ignorasse, sed non attendenda iudicasse, sed in supernaturalibus dum de mysteriis res fuit, quæ revelatione nituntur, naturæque limites longe non attendendas iudicantur. Non illi rerum ordinem naturalem cum Divina contendebant potentia: quodque maxime sciolis illis nostris, atque vanam scientiam iactantibus, probro cedit; antiqui illi ambiguitates, quas in mysteriis fingunt, solum simplicioribus, atque infantibus adscripsisse leguntur, cuiusmodi exemplum simplicis cuiusdam monachi supra retuli. Ita etiam D. AUGUSTINUS loquens de corporibus, in quibus apparuerunt Angeli: *Illas*, inquit (a), *nubes, & ignes quomodo assumserint Angeli, quis novit mortalium? sicut infantes non noverunt, quod in altari ponitur. Et si nunquam discant experimento, & nunquam speciem illam videant, nisi in celebratione Sacramentorum, dicaturque illis gravissima auctoritate, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credant, nisi omnino in illa specie DOMINUM oculis apparuisse mortalium.* Dum autem Neophytos de hoc Sacramento instruit, aliud omnino credendum a fidelibus vult, quam sensus renun-

M 2

ciant

(a) L. III. c. 10. de Trinit.

- a ciant (a). *Quod ergo videtis, panis est, & calix, quod verbis etiam oculi vestri renunciant, quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus CHRISTI, calix sanguis CHRISTI.* Sic gravissima auctoritate renunciabat AUGUSTINUS Neophytis, cuius corpus, & sanguis in altari sit. Nec importunius difficultates urgebantur: Quare CYRILLUS Alex. (b) Iudaicum illud dicit esse vocabulum: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Quod si, ait, perstas, Iudæe, usurpare illud QUOMODO, ego vicissim . . . tibi exponam. Quomodo egressus es ex Ægypto? quomodo in serpentem versa est virga Mosaica &c.* Sic motas illi difficultates retundebant, Divinæ concedentes virtuti, non sensuum testimonio deferentes. S. EPIPHANIUS in *Ancorato* de Eucharistia scribens: *Dominum nostrum, ait, novimus totum sensum, totum sensitivum, totum DEUM, totum moventem, totum operantem, totum lucem.* Neque etiam corporum dimensiones morari quidquam eos potuit! Sic EUSEBIUS *Gallic. De quo, scribit (c), pane vetus narrat historia, nec qui plus colle-*
- b
- c
- ge-

(a) Serm. CCLXXII. T. V. p. 1104. F.

(b) In IOAN. VI. §2, (c) Hom. V. de Pascha.

gerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus: eo quod Eucharistia sacra perceptio non in quantitate, sed in virtute consistat. Quod corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum constat esse in toto, quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis. De quo sensu Apostolica sententia derivata est, dicens: qui multum habet, non abundabit: & qui modicum, non minorabit. Si forte panes esurientibus apponeremus, non ex toto perveniret ad singulos: quia particulatim & minutatim pro portione sua unusquisque præsumeret. De hoc vero pane cum assumitur, nihilo minus habent singuli, quam universi; totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt: quia benedictio huius Sacramenti scit distribui, nescit distributione sumi. Nullus hodie addere aliquid posset ad explicationem doctrinae nostræ, nemo difficultatibus omnibus obviare melius, illis omnibus ceu in pugno compressis, quæ ex corporis mole fieri possunt. S. IOANNEM Damascenum, quod unicum ex difficultatibus hic videtur prætermisum, exponentem iam audivimus, scilicet CHRISTUM in Eu-

a charistia fisti transmutatione facta symbolorum, non derelicta sede cœlesti. *Corpus est*, inquit (a), *Divinitate vere unitum, quod ex sancta Virgine ortum habuit, non ut illud, quod in cœlos receptum est, corpus descendat; sed quia panis ipse & vinum in corpus & sanguinem DEI transmutantur.* Hæc adhuc multo distinctius explicata reperies in duobus, quæ ad calcem S. DAMASCENI addita sunt opusculis, epistola ad ZACHARIAM, & capitulo, seu homilia parva.

Theologia
singularis
auctoris
epistolæ
ad ZACHA-
RIAM, &
homiliæ
parv. inter
opera S.
Io. DAMAS-
CENI.

VI. Sed vel his ex opusculis conicere licet, iam curiosius esse in hoc mysterium indagatum, non tamen in Ecclesia Græca, in qua auctor iste quisquis sit, vix cognitus videtur: ubi etiam ad hodiernum usque diem disquisitionum illa strues molesque circa hoc Sacramentum, quæ apud nos ingenia Doctorum fatigat (utinam non fidem lacefferet!) ignota est. Doctrina tamen Anonymi istius non ita peregrina est & paradoxa, ut visum est aliquibus. Tantum autem abest, ut Heterodoxi aliquid inde pro se venari queant, ut e contra aperte contra illos faciat, an-
fam-

(a) De Orthod. fide l. IV. c. 14.

famque præbeat ad difficilem S. AUGUSTINI locum illustrandum, vindicandumque adversus exceptiones Heterodoxorum. Quoad veritatem autem Catholicam clare docet, idem corpus, quod ex MARIA Virgine natum, atque in cruce hostia pro nobis fuit oblatum, in Eucharistia esse: quin etiam easdem œconomix vicissitudines in Eucharistia renovari, auctor opusculorum illorum, quisquis sit, dicit, quæ circa corpus CHRISTI verum audierunt, ut in altari quasi in utero Virginis formetur, intra hoc ipsum etiam altare veluti incrementum accipiat per novas illius cibi ac potus dimentiones accedentes, multo autem magis extra per corporis mystici augmentum, quin tamen duo sint CHRISTI corpora, sed unum dumtaxat. Non addimus, quæ habet deinceps de oblatione hostiæ, comminutioneque, ac illius veluti in sepulchrum reconditione intra viscera nostra, quin tamen corrumpatur, aut dentibus, aut visceribus comprimatur: in eo sistimus, quod de augmentis extensionibusque singulariter dicit, præsertim in corpore mystico, quod sumus nos. *Quemadmodum*, inquit in Homilia ad calcem operum S. IO. DAMASCENI edit.

nov. P. LE QUIEN, *ex muliere natus infans perfectus homo est, edens autem & bibens augetur quidem, sed non aliud corpus assumit, nec duo, aut plures ipsius corpora dicimus, sed unum, quod natura est ex matre; sed & nunc postquam caput nostrum est CHRISTUS & nos cum ipso corporati, eiusque corpus sumus, quod semper augetur, cum ipso autem concorporati sumus participatione carnis & sanguinis ipsius.* Dum vero ἐπεὶ ἐγενήσθω in hoc solo constituit, quatenus in Ecclesia, quæ est corpus CHRISTI, fideles participant de corpore CHRISTI concorporati & consanguinei, ut ita dicam, fiant; facit hoc ad mentem veterum, ut alibi a nobis dicitur. Nunc illud solum prosequimur, quod hinc ad illustrandum S. AUGUSTINUM colligitur.

S. AUGUSTINI Theologia, quæ ad fidem, & quæ ad Theologiam in Eucharistia sint referenda.

VII. Solent Heterodoxi, atque inter hos ALBERTINUS & CLAUDIUS, post veteres BERENGARII Sectatores, contra nos urgere, quæ S. AUGUSTINUS in sermonibus ad Neophytos, de Sacramento altaris, tractat; ubi ex professo docens recens baptizatos (aiunt) totus convertitur ad figuras & allegoricas interpretationes, de corpore CHRISTI mystico, quod

quod sumus nos. Præterquam autem, quod hoc adversarios nihil iuuet, ut iam alibi indicavi, qui figuram in ipsis symbolis, non in fumentibus constituunt, aliunde ipsorum doctrinam penitus destruit. Tres eiusmodi habemus sermones ad Infantes de Sacramentis, quos omnes habuit, postquam iam fuerunt participes facti Eucharistiæ, ut hinc etiam si Catechetica de reali præsentia non exponeret doctrinam, nihil plane adversarii inde pro se extundere possent, eo quod persuasum esse debeat, antea iam eos debuisse esse instructos, quid in Eucharistia acciperent, postea autem optime ad spirituales fructum, atque ad mores sermonem converti potuisse. Sed nec ita se res habet præcise. Duo distinguit S. Pater in his sermonibus, quorum alterum ad fidem, alterum ad cognitionem, seu scientiam pertinet. Primum in eo constituit, quo docemur, contra sensuum experimentum credere, verum adesse corpus & sanguinem CHRISTI: Alterum in eo collocat, quod ad nostrum fructum spirituales nosse & scire oportet, nimirum nos effici hoc modo per participationem membra CHRISTI. Sermones illi tres sunt CCXXVII., CCXXIX., CCLXXII.

Omnes autem tres in eo conveniunt, ut primum apertissime, veram realem præsentiam in Eucharistia credendam, asseratur, quamquam alterius sermonis tantum fragmentum superfit, ex BEDÆ & FLORI collectione repertum. Semper autem deinceps ad corpus CHRISTI mysticum se convertit: idque tunc, cum ex asserta reali præsentia quæstio curiosa pulsaret: quomodo CHRISTUS in coelis existens, possit simul nos nutrire in Eucharistia? Hanc illæ quæstionem intelligentiam nostram impedire, curiositatemque hic solum pascere reputans, ad ea intelligenda animum convertit, quæ utiliter scire nos oporteat. Quod si ex uno horum sermone hæc explicata referam, cum omnes inter se pares sint, nihil desiderabitur amplius. Accipiam autem serm. CCLXXII. qui est postremus in die Pentecostes, ad *Infantes ante altare de sacramento*, ex quo paulo ante luculentam confessionem realis præsentia iam anticipavi: nunc breviter repetam. *Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus CHRISTI, calix sanguis CHRISTI. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat, sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta, nisi cre-*

credideritis, non intelligetis. Potestis enim modo dicere mihi, præcepisti, ut credamus, expone, ut intelligamus. Potest enim animo cuiusquam cogitatio talis suboriri: DOMINUS noster IESUS CHRISTUS novimus, unde acceperit carnem... in cælum ascendit; illud levavit corpus suum; inde venturus est, ut iudicet vivos & mortuos, ibi est modo sedens ad dexteram Patris, quomodo est panis corpus eius? & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius? Ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo CHRISTI si vis INTELLIGERE, Apostolum audi dicentem fidelibus, vos autem estis corpus CHRISTI, & membra: mysterium vestrum accipitis. Ad id quod estis, AMEN respondetis, & respondendo subscribitis. Audis enim corpus CHRISTI; & respondes AMEN. Esto membrum corporis CHRISTI, ut verum sit AMEN. Cave, existimes, sanctum Doctorem sibi in uno eodemque sermone contradicere, ut quam præsentiam realem prius tam præcise & perspicue asseruit, eam nunc neget. Fidem solum ab intelligentia distinguit: fidem requirit unice in credenda, contra sensuum testimonio-

stimonium, præsentia CHRISTI in sym-
 bolis : nihil ibi nos vult curiosius ad
 intelligentiam scrutari : sed intelligen-
 tiam unice ad nos refert, ut sciamus,
 quid efficiamur, quem fructum acci-
 piamus, dum membra CHRISTI effici-
 mur, participantes de corpore & san-
 guine illius. Ista fuit constans veterum
 Theologia, in mysteriis inconcussam
 tenere fidei obsequium, intelligentiam
 autem ex utilitate, fructuque spiritali,
 metiri. Quod hic videmus a S. AV-
 GUSTINO factum, ut separatis iis inter
 se, atque discretis, quæ ad fidem, &
 scientiam pertinent; quamprimum mens
 aliqua suggererat, quod posset ad la-
 befactandam fidem fomitem præbere :
 quamprimum se curiosa indagatio inge-
 rere canabatur ab iis rimandis, quæ in
 hoc Sacramento fidem unice spectabant,
 sermonem avertit S. Pater, eoque di-
 rexit, quod ad fructuosam perceptio-
 nem huius Sacramenti attinet, quod-
 que scire, & intelligere fidelium inter-
 est, maxime Neophytorum, qui pri-
 mum participes Eucharistiæ facti fue-
 runt, atque in unitatem Ecclesiæ ad-
 scripti, cuius conservandæ in CHRISTO,
 Sacramentum, Eucharistia existit, dum
 Christianos unius eiusdemque corporis
 CHRI-

CHRISTI membra facit. Sic in fermone altero huius generis (a), qui est in Paschate habitus, adhuc clarius remponit: *Si bene accepistis, vos estis, quod accepistis.* Apostolus enim dicit, *unus panis, unum corpus multi sumus.* Sic exposuit Sacramentum mensæ Dominicæ: *Unus panis, unum corpus, multi sumus. Commendatur vobis in isto pane, quomodo unitatem amare debeatis.* Veteres enim, ut alibi exponemus, præclarissima, quomodo membra CHRISTI per Eucharistiam non morali tantum transmutatione, atque apotheosi efficiamur, sensa gessere. Quia (inquit AUGUSTINUS in hoc nostro argumento versatus (b)) *passus est pro nobis, & commendavit in isto Sacramento corpus & sanguinem suum: quod etiam fecit, & nos ipsos.* Nam & nos corpus ipsius facti sumus, & per misericordiam ipsius, quod accipimus, nos sumus. In his ergo, & similibus latissime patentem offerre sunt soliti Theologicum campum, parciore, restrictioresque quoad ea, quæ operosæ postea cœperunt in naturam, modum & possibilitatem disputari.

VIII.

(a) Serm. CCXXVIII. T. V. p. 973. C.

(b) Serm. CCXXIX. p. 976. B.

Veteris il-
lius Theo-
logiæ felici-
tas, ac
inpertur-
bata quies,
quam tur-
batam ef-
se, dolen-
dum.

VIII. Quare frustra, quis in eorum operibus, quæsierit enodationem omnium earum difficultatum, quas hodie neclere solent; quippe qui fuerunt a nostris litibus alieni: quare fit, ut sæpius in deterio rem partem, atque in utramque etiam partem accipiantur eorum sententiæ. Quod enim de S. Io. CHRYSOSTOMO dixit S. AUGUSTINUS, aliis etiam applicari potest, in hac potissimum disquisitione, quæ nullis adhuc contrariis opinionibus in diversa fuit abrepta: (a) *Vobis nondum litigantibus, securius loquebatur.* Non abnuo, futurum fuisse, ut SS. Patres ad solvendas argutias & subtilitates, animum applicuissent, si ita rerum exegissent circumstantiæ & necessitas. De Eucharistia loquebantur aperte solum coram Initiatis & Neophytis, hi simplici fidei expositione erant docendi. Disciplina arcani revocabat a mysterii tractationibus laboriosioribus & publicis: inde occasio alienis a fide demebatur, mysterio obtrectandi, atque contra illud dubia movendi. Quod fideles autem ipsos spectat: simplices dictis a Pastoribus fidem adhibebant; perspicaciores nulla necessitate, aut religionis com-

mo-

(a) Lib. I. contra Iul. c. 6.

modo ad omnes mysterii sinus pervadendos impellebantur. Atqui hæc fuerat maxima Theologiæ veteris felicitas, quam postea turbatam fuisse, lugendum quidem, sed non obtrectandum Catholicis Doctoribus, si qui non curiositate ducti, sed necessitate adducti, istis sese ingesserunt, neque iustos sunt transgressi limites. Etiam antiquis temporibus tales se præbuerunt occasiones, quibus se Doctores Catholici communi debuerunt variis armorum generibus pro invadentium hostium diversitate. *Pro variarum religionum diversitate mutanda & accommodanda Catechesis* (ut repetam quæ iam supra ex GREG. NISS. attuli) *orationis quidem eundem sibi proponendo scopum, & ad eum intuendo: sed non eodem modo probando, & confirmando.* Hæc ille initio orationis suæ Catechetiæ, in fine autem declarat, se adversarium iam tunc præmanibus habuisse, cuiusmodi deinceps magnus numerus apparuit, nec hodie defecit: quare tum ad concludendam hanc dissertationem, cum ad auspiciendam sequentem, nihil aptius esse queat, quam sententia, qua orationem illam suam claudit, quæ canonis loco esse possit verè nominis Theologo. *Quoniam autem SEVE-*

RUS solas sectatur voces, & in solis verbis, & sonis collocat pietatem, licet dicat Apostolus: Non enim in sermone est regnum DEI, sed in virtute, & veritate: Is autem apud SEVERUM optimus agnoscitur Theologus, qui in prædicamentis Aristotelis, & in cæteris, quæ apud externos Philosophos sunt præclara, fuerit exercitatus, necesse est, nos significata uniuscuiusque dictionis eorum, quæ accipiuntur, tanquam sententiæ in iis, quæ dicuntur apud SEVERUM, opportune declarare, ex sententiâ Doctorum Ecclesiasticorum, in qua ea acceperunt: ut qui in libros subscriptos inciderint, possint, cum primum legerint, intelligere vim eorum, quæ dicuntur: neque propter ignorationem significationis dictionum impediuntur, ne comprehendant ea, quæ sunt in ipsis theoremata.

CAPUT VIII.

Theologia Eucharistica medio ævo ex templis in campum deducta, salva quidem semper fidei integritate.

I. **P**ROgredimur ad eam ætatem, quæ est media Ecclesiæ, qua doctrina Eucharistica, nihil sibi ab exteris,

Secunda ætas Theologiæ Eucharisticæ, qua Hec-